

05

A

1201









O. F. F. S.

DISSERTATIO POLITICA,

Quâ

# NUMMÆ IMPE- RIUM,

PRÆSIDE

M. FRIDERICO CHRISTIANO  
BÜCHERO,

Facult. Philos. hæctenus Adjuncto, nunc vocato Profefs.

Log. Metaph. & Phil. Pract. in Gymnasio Gedanensi,  
ejusdemq; Reipubl. Bibliothecario,

*publ. recensabit*


*ad D. .ii. Maji An. M DC LXXXI.*

*In Audit. Maj. Hor. Matut.*

A. R.

POLYCARPUS LEISERUS,

Witt. Saxo.



WITTENBERGÆ

Typis MATTHÆI HENCKELII, ACAD. TYPOGR.



VIRIS  
MAGNIFICIS,  
*Maximè Reverendo atq; Consultissimo, Amplis-  
simis Excellentissimisq;*

DN. ABRAHAMO  
CALOVIO,

SS. Theol. Doct. & Prof. Publ. in Alma VVitteberg. Pri-  
mario, Templi Parochialis Antistiti, Consist. Eccle-  
siastici Assessori, & Circuli Electoralis  
Saxonici Superintendenti  
Generali,

*AVO Materno omni honore et aetate pro-  
sequendo,*

ut animi beneficiorum memoris argumentum,

*et  
Parenti indulgentissimo,*

VVILHELMO LEI-  
SERO,

JCTO & Antecessori,  
ut observantiae testimonium,

*Utriq;*  
ut pietatis tesseram

*Hoc quaecumq; offerre*  
RESPONDENS.



05 A 1201





*Q. D. B. V.*

I.

**V**æ tempora in civitate occurrunt, duo sunt: pacis unum, alterum belli. Huic si Respublica implicetur, non exiguum administrationis bellicæ momentum est in disciplina militari: Illius verò artes in prudenti legum civilium ordinatione imprimis sitæ sunt. Utrimque pendet Reipublicæ salus, aliis artibus gubernanda, aliis tuenda. Enimverò si qua Respublica in orbe universo, certè Romana fuit, quæ cum tot retrò seculis incorrupta stetit, tum & sago claros & togatis artibus insignes aluit Heroas. Constat sanè, conditorem ipsum & bellicosissimum aliàs Ducem Romulum non fines modò atque regiones, sed etiam jura, sive suòpse ingeniò sive ex Græcorum institutis, Reipublicæ Romanæ dedisse. Sine quibus facile intelligebat, tantam multitudinem, ex diversis gentibus conflata, in unius populi corpus cogi non potuisse. Qui verò secundus fuit in imperio Numa Pompilius, ita legit Quirini vestigia, ut quæ hic legum posuerit fundamenta, is adeò perfecit, ut iisdem Romani rerum Domini tam vastam imperii molem superstruxerint, plurimæque ex iis adhuc supersint, quibus in corpore Juris Civilis, legum, quæ hodiè collectæ sunt, compages continetur. Facturum me itaque operæ pretium confido, si de hujus imperio, qui-

A 2

bus



bus illud modis Numa sit adeptus, & quibus artibus gesserit pro renata & ingenii modo differam.

II. Romulus prout civibus suis vivus adhuc egregiam & admirabilem pace belloque præstitit operam, ita mortuus Principis boni desiderium apud suos reliquit. Imprimis autem temporis eo regnante transacti felicitatem reminisceretur civitas, quæ, cum sine liberis excessisset, nullo hærede regni relicto, in pejus ire minabatur. Patres enim regnandi cupidine allekti, de imperio certabant, & Sabini Latinis & hi vicissim illis invidebant. Discordia nimirum civium inter diversas nationes versabat animos, malum, quod maximis olim imperiis causa stetit, cur perirent funditus, nec minus hodiernum in Republica, orbatâ principe vel spe certi successoris, caput exferere conatur. Quod si Alexander ille M. paulò diligentius perpendisset, diuturnius forsitan condidisset imperium, evitassetque, quod evenit postmodum, ut inter *summum & ferè nullum vix unica nox interesset*. Pari ratione post amissum Romulum (malè quidem cum Republicâ agentem, quòd *numerofam prolem firmissimum ex sententia Taciti dominationis subsidium* vel saltem certam successionem negligeret) felicitas Romana nutare parabat, ut demum ad interregnum & ἀναρχίαν ferè res rediret.

1.3. & H. IV. 52.

III. Centum enim verò Patres Majestatem, ut quolibet quinque dierum spaciò per omnes in orbem iret imperium, diviserant. Sed ne ita quidem stabilitâ satis adversus conversiones Republicâ, plurimæ imminebant calamitates ex ambitione patrum, & inde natâ seditione populi, quæ fermè interregni solent, esse incommoda. Ubi non rarò contingit, proceres, quò plus valent opibus, eò magis ad regnum, tanquã ad palmam in cursûs præmium expositam,



tam, rectâ viâ decurrere. Tum nihil sanctum, nihil inviolabile, nihil intactum relinquit ambitio, tum similis ferreæ redit ætas, in qua

— — fugere pudor verumq; fidesq;  
In quorum subiere locum fraudesq; doliq;  
Insidiæq; & vis & amor sceleratus habendi,

quemadmodum foeditatem seculi graphicè depingit Poëta. Parum aberat, quin putares, istis figmentis Romanæ Reipublicæ post excessum Romuli faciem fuisse prædictam; tanta vitiorum cohors urbem intestinis odiis sepultam invaserat.

IV. Patres regnandi cupidi factionibus vi & fraude rem inter Deos hominesq; pulcherrimam affectabant, arbitrati, si violandum esset jus regnandi gratiâ violandum esse. Populus ægrè ferens multorum imperium multiplicatam fremebat servitutem, proximusq; erat tumultuanti. Etenim hoc ei proprium vitium est, ut de optimatibus & quos eminere videt altiùs, libenter detrahat, haud æquo animo intuens, plures sibi rapere sigillatim, quam universi sustinere nequeant Majestatem. Itaque cum libertate ad arbitrium non posset frui, præcepit in contrarium, ut malit Regi servire, quàm sub Patribus vivere liberius, pro ingenio suo, quo aut superbè dominatur aut humiliter servit. Ipsa verò Respublica destituta summo imperio, perinde ut Navis, cui fluctus eripuerè gubernacula, hinc inde jactabatur, tantoq; periculosius erat interregnum, quanto propius ad libertatem accederet naturalem, animosq; eâ imbueret opinione, ut sibi quisque licere, quicquid liberet, impunè statueret. Id quod facilè arripiunt, qui privatim degeneres, in publicum exitiosi, nihil spei nisi per discordias habent, ideoque tumultum ex tumultu, bellum ex bello serunt. Quippe

A 3

vetera

Metamorph. I.  
Fab. 4.

Liv. L. II. c. IX.  
Eurip. in Phœniss.  
& Svet. in Cæs.

Nep. in Chabr. cap. 3.

Liv. XXIV. 25.

Tac. XI. 17.

Salust. Hist. I.



*Id. Catil. 37.* vetera pertæsi, nova expetunt, & odio rerum suarum omnia mutare student. Ponamus modò nobis ob oculos foedis-  
simam Patriæ faciem, sub magno illo interregno Seculi XIII. animadvertemus nec privatos focos, nec publicas leges, nec libertatis jura, quæquam adversus improborum machinas rectè protegere potuisse.

*Cic. de Harusp. Resp. T. 2. 616.* V. Romanæ autem Reipublicæ periculo accedebat ipsa civitatis novitas, quæ multarum circa gentium irritaverat animos, metûq; vicinæ & crescentis potentiæ auxerat. Verendum erat insuper, ut ex tanta multitudine & inter se & ordinum cum plebe & veterum Romanorum cum Sabinis disidentium, alterutra partium in auxilium vocaret exteros. Quippe sæpissimè *universus interitus solet esse exitus disfidiorum*, dum discordes animi invidiâ, odiò & furore aguntur, ut patriæ quoque salutem posthabeant; sibiq; ipsis imponunt jugum, dummodò suæ factionis adversarios valeant debellare.

*Liv. L. 1. c. 17.* VI. Itaque dum ea Romæ moverentur, nec populus nisi rege ab se creato sedari posset, civitas autem seditionibus implicaretur, Patres *ultrò concedebant plebi, quod amissuri videbantur*. Prudenti satis consilio. Sæpius enim exasperantur animi, ubi vi comprimere turbas quæsieris, nec pari semper severitate & felicitate res procedit, quæ Alexander M. usus est, cum *in medium seditiosæ concionis se immit- tens, manu singulos ferocientes corripere*. Sed lenitate interdum mitiganda tumultûs violentia, severitasq; intermixtâ comitate temperanda, quod in Augusto laudat Vellejus, ubi iisdem artibus compositam militum seditionem refert. Sic conjurationem Catilinæ, quæ magnam civium partem complexa erat, magis Ciceronis mitior, quàm severa Catonis oppressit sententia. Non minùs Patres Romani  
placi-

*Curt. L. X. 2.*

*L. II. 91.*



placiditate turbas plebis compescere studebant, rati eo maximè modo concussam stabiliri posse civitatem.

VII. Atque hoc ipso & civis & Magistratus boni partes abundè implebant, utilitatem publicam ultimum scopum & salutem Reipublicæ supremam sibi legem statuentes. Postea demum & sibi ipsis consulturi gratiam inibant à civibus, quod summam potestatem populo permitterent. Ne tamen plus darent juris, quàm detinerent, suaq; senatui constaret auctoritas, plebi jus rogandi summum Magistratum ita concedebant, ut cum populus Regem jusisset, id sic ratum esset, si, ut Livius ait, Patres autores fierent. Scilicet probè noverant in vulgo nec consilium, nec rationem, nec discrimen, nec diligentiam habere locum, sed temeritate eum & impetu ferri in ea, quæ concupiscit. Norant item privatam cuiq; stimulationem & vile decus publicum esse, utq; potestatem eligendi sibi rapuisset, sic & abrogandi Magistratus facultatem sumturum. Quamobrem ut plebis perversa natura coerceretur, ut salva Majestas in Republica salusq; & tranquillitas facta maneret atque tecta, ut ab imminente rerum conversione, quam minabatur seditio populi, tuta præstaretur recens collecta civitas, ultimum suffragium & decidendi jus nobilitati & senatui tanquam prudentiori reservabant. Sicut enim famulatur, omne quicquid est prudentia, juxta Menandrum, ita & ignaræ plebis scita servire debent, & ad normam prudentiæ, consilia puto patrum, duci & examinari.

VIII. In quo negotio exemplum singularis providentiæ divinæ eminet, quæ Majestatem largitur civitati, & in imperiis magnis condendis maximam vim suam ostendere solet. Neque sine nutu DEI potentissimo factum est, ut in senatus consulta Romæ consentiret populus,

Liv. l. c. 1. vid.

Cic. pro Planc.  
p. 621.

Tac. l. Hist. fin.



Liv. l. 17. fin.

lus, qui alias quò indoctior est, eò plus sibi prudentiæ in civilibus negotiis tribuere solet, ubi aliquam adipiscitur potestatem. Plebs autem Romana non tantùm agnovit ipsa suam in tanta re deliberanda imbecillitatem, verùm etiam ne victa videretur beneficio patrum, totum negotium permittebat senatui, solummodò id *sciscens, ut decerneretur, qui Romæ Rex esset.* Deinde hic insignis mobilitatis plebejæ documentum est. Crederes marinos, fluctus non tam subitò accedere & recedere, nec tempestates tam facilè suboriri, quàm quidem hujus populi mutata est sententia; qui antè, immodicus sævitiâ, vi extorquere patribus potestatem summam visus erat, ubi spontè offertur, quod alios habere, tantoperè indignabatur, nunc ipse recusat accipere, senatuiq; oblatum vicissim defert.

Dionys. L. I.  
c. 58.

Salust. Catil. 6.

IX. Huic interim curæ cordiq; erat, officio suo benè fungi, & in delato munere creandi Regis, civium bonorum laudem mereri. Patrum alii erant *veteres, alii qui postremum in senatum ascripti fuerant, novi* appellati, quos inter nondum convenerat, utra ex parte sit designandus, cui Republica traderetur. Veteres demum, omnia probè secum reputantes, (more modoq; senum, qui usu præstantes *ingenium sapientiâ validum habent*) facilè perspiciebant, ex neutra parte eligendum esse, qui regnaret, ut omnis seditionis materia tolleretur. Juniores autem ex eo veterum prudentiam æstimantes, obsistere huic sententiæ non ausi, sed utilitate & reverentia eam metientes, ultrò consenserunt.

Liv. l. 6.

X. Itaque communibus suffragiis, cum populus videretur inclinare ad regnum, utpote quod antea haud tacitè, *multiplicatam servitutem & centum dominos* conquirens, innuisset, utq; turbulentis hominibus omnis tumultuan-



tuandi occasio eriperetur, visum fuit, optimam illam Reip.  
formam & civitati ex diversis nationibus recens collectæ  
convenientissimā & Romæ jam usitatam retinere. Quippe  
Monarchia ab imperio Divino quàm proxime abest, inque  
eâ vis imperii collecta firmitus Reip. compagem continet,  
quæ in plures dispersa, si non impedit, saltem retardat salu-  
taria consilia.

*Unum Corpus unius animo, una navis uno* Tac. I. 12.  
gubernatore feliciter regitur, & apes unius ducis auspiciis  
examina mittunt; at plures si fuerint, jam seditio, jam para-  
ta secessio est. Hinc *pacis interesse & tranquillitatis publi-*  
*cæ, omnem potestatem ad unum conferri,* videtur Tacito. L. I. Hist.

Sane huic rerum Romanarum statui nulla magis conve-  
niebat Reip. species, quàm quæ factiones, quibus omnis  
publica securitas in discrimen vocabatur, extingveret. Rex  
desiderabatur, & unus Dominus, qui illud ordinum inter se  
diffidentium certamen, quò suæ quisque studebat genti,  
dirimeret, ac suâ efficeret autoritate, ut nec alius se Sabinum  
amplius, alius Romanum; sed omnes Quirites & Re-  
gis sui subditos profiterentur. Semel atque iterum saluti  
fuit Reipublicæ Romanæ, *ab uno regi, quod discordantis*  
*Patriæ remedium* Augustum adhibuisse, testantur Tacitus Tac. I. 9.  
& Florus. Is n. *perculsum imperii corpus suâ sapientiâ or-* Fl. IV. 3.  
*dinavit, quod ita nunquam coivisset, nisi unius presidis auspi-*  
*cio, quasi anima & mente, regeretur.* Denique Senatus  
prudenti eo consiliò, quo Regem esse eligendum censuit,  
crebras vitavit mutationes, quas Reipublicæ sæpe exitio  
fuisse, secum reputans, pristinum statum, cui conditoris  
tempore plebs Romana assveta fuit, retinere maluit, quàm  
ex novo regimine Reipubl. periculum accersere.

XI. Principem elegit, non quidem ex suo ordine, sed  
natione Sabinorum, qui cum Rege suo Tatio Romam non  
commigraverant; metuens Reipublicæ & à suspitione am-  
bitionis,

B

Plut. p. 61.  
bitionis,



Lib. I. c. 18.

Cic. Orat.  
pro lig.

Horatius  
OD. IV. 4.

Plut l. c.

Cic. de Di-  
vin. I.  
Tom. IV.  
360.

bitionis, quæ jam tum Patribus invidiam conflaverat; & à tali principe, qui studio alterutrius partis duceretur. Ascendit in id fastigium Numa Pompilius, ortus ex Sabinis, populò non modò *disciplinà tetricà & tristi, quo genere nul- lum quondam incorruptius fuisse* testatur Livius, sed religione imprimis commendato. Hos nonnulli à cultu divino nomen traxisse persuasi sunt, in quod altiùs inquirere nobis minimè sumimus, contenti annotasse, quòd sequenti etiam ævo ut *flos Italiae roburque Reipublicæ* passim laudatus fuerit.

XII. Nec suà laude fraudari debet prudens senatorum consilium, qui ejus potissimum gentis, quæ nõ minùs justitià, quàm opibus valens, in unam Civitatem coiverat, honore Regiæ dignitatis arctius devinxere societatem. Ex ea proinde Regem creaverunt Patres, qui princeps fere eminebat & antiquitate generis majorumque glorià, nec non suà virtute unus omnium maxime florebat. Etsi enim haud rarò humili locò nati & ad regnum evecti, summà cum laude præfuerint, tamen hoc magis fortunæ quam circumspecto eligentium consilio tribuendum. Ubi omnino probabile videtur, *fortes creari fortibus*, si præsertim magnæ cujusdam indolis haud obscura se offerunt indicia, quæ in Numa quoque reperire licebat.

XIII. Enimverò in hoc summum Virum portendebat, quod *eodem die, quo Romæ jacta sunt fundamenta, natus erat*, quasi Urbs, cum quo capisset, ab eo etiam maxima expectaret incrementa. Feliciore profectò omine, quam quod Alexandrum M. orbis dominum significavit, cujus natalis incendio templi Ephesini nobilitatus, regnum ostendit, cædibus ac flammis & interitu Asiæ amplificandum. At in Numa par omni respondit eventus, quem maximè secundavit ipsa natura & regia indoles. Ab ea enim



enim quæ tributæ dotes, sic perfecit Pompilius, ut virtutum suarum immortalem reliquerit memoriam. Au- xerat nomen ejus, quod Romani Imperii particeps *Tatius*, *filiam ei Tatiam matrimonio junxisset*, ne scilicet deesset quicquam, quod ad felicitatem gloriamque omnibus nu- meris absolvendam pertineret.

Plut. l. c.

XIV. Huic igitur Viro, neminem præferre ausi, ad unum omnes regnum deferendum patres decreverunt. Fulgebat in illo εἶδος ἀξίων τυραννίδος, ut Euripides ait, & ipsa forma boni Principis, Reipublicæ pulcherrimum re- rum statum promittebat. *Maxima in majestate corporum veneratio est, magnorumque operum non alios magis capaces judicant prudentes, quam quos eximiâ specie donare natura dignata est.* Formam Numæ plane Regiam ætas quoque decorabat, illa succi plena, quæ non minus virium robore, quam ingenio pollet, omniaque usu & prudentiâ metitur. Erat enim *quadragesenario propior*, cum regno admoveretur, quod vitæ suæ spatium in *lucis sacratisque nemoribus* unicè intentus contemplationi rerum cælestium, confecerat. Rimabatur, quæ Numinis natura, quæ potentia, quò cultu, quâ integritate celebrandum sit, in eo ponens felicitatem suam, si pietati semper satisfaceret.

Curt. VI. 5.

Dionys. l.

59.

Plut. l. c.

XV. Hæc uti Principium omnium virtutum est, sic imprimis Principem decet, qui si pietatem negligit, omni successu caret, & per ea vitia pronus ac præceps ruit, quibus funditus everfæ sunt Respublicæ. Cum hac virtute Numa conjunxit justitiam, quæ nulla virtus est in admini- stratione Reipublicæ præstabilior, nec ulla magis digna, a qua non minùs ipse Numa, quam *Aristides* olim fumus Athenis vir, *splendidissimum acciperet cognomentum.* Eâ enim remotâ, *quid imperia sunt aliud, quam magna latro- cinia*, quæ quidem & ipsa inter se justitiâ probe admini-

Nep. in  
vita ejus,

c. 1.

August. L.

IV. de Civ

vit.

B 2

strata



Off. II. T.  
IV. 503.

Plut. p. 63.

In Lycurg.  
I. 35.

Curr. IV. 1

Tac. I. II.  
Cic. Orat.  
ad Quir.  
post red.  
init.

In vita  
ejus c. 6.

Plut. p. 63.

strata conseruari Tullius, nec ineptè sentit. Sed quam in nostro etiam mireris, *summa modestia est*, quâ oblatam Regis dignitatem, recusavit, & quod alii per ferrum & ignem peterent, eò se dignum esse negavit. Comparandus in eo Lacedæmoniorum legislatori prudentissimo apud Plutarchum, & Germanico apud Tacitum, qui rectè intelligebant, *quantò melius esset, regnum fastidire, quàm accipere.*

XVI. Cùm autem ea demum vera magnitudo animi sit, quæ non quosvis delatos honores arripit, sed explorat, quid valeant humeri, quid ferre recusent: tùm Numa præcipuè virtutem & rationem sectabatur. Videbat *arduum & subjectum fortunæ cuncta regendi onus, homini vero nihil magis optandum esse, quàm prosperam, æquabilem perpetuamque fortunam*; eamque non in imperio sed in tranquillo vitæ instituto, quod huc usq; tenuisset, se affecuturum. Ne itaq; mutaret vitæ consuetudinē, malebat quieta sorte, quam sibi ratio dedisset, contentus vivere, ratus id, quod res est, omnem vitæ conversionem periculosa plenum opus esse alexæ. Deinde recogitabat Romanæ Reipublicæ statum, qui summa imis propemodū miscens quemlibet ab imperio capessēdo deterrebat. Quis enim ordo Imperantiū quis parentiū, ubi cuncta civilib; discordiis agitantur? *quis se his fluctibus immitteret? quibus qui se dedissent, eos non magis in sua potestate esse, quàm qui maritimis jaçtarentur*, existimabat Atticus apud Nepotem. Unde nec honores cum ei paterent, petebat, quod geri non possent sine periculo corruptis civitatis moribus, ut idem Autor asserit.

XVII. Hæc & similia nostrum minimè præteribant, utpote præceptis institutisque Philosophiæ abundantem, satisque sibi suarum virium morumq; conscium. Victorem populum & bellis asvetum non nisi armis & expeditione-



peditionibus militaribus occupari oportebat, Romulusq;  
multas circa gentes irritatas non debellatas reliquerat, con-  
tra quas qui duceret, deerat, non qui ducerentur. *Quæ-*  
*rendus itaque quem in omni genere belli exercuisset fortuna,*  
quod tamen tantum à nostro aberat, ut potius totum vitæ  
suæ curriculum ad quietem direxerit, *pacem unam trium-*  
*phis innumeris potiozem* arbitratus. Itaque satis sibi causæ  
esse existimabat, cur repudiaret regnum, onus, cui feren-  
do longè esset impar, si nimirum pergeret civitas, sic in  
viscera sua sævire, aut armis parta armis quoque tueri.

XVIII. Postremò tamen victus periculo Reipublicæ  
& propinquorum precibus accepit provinciam, remini-  
scens, id se debere suæ imprimis genti, quæ *post faminarum*  
*raptum cum Romanis in unum coiverat corpus, ut quibus*  
eam modis posset, adjuvaret. Plurimum etiam tribuit  
auctoritati Patris, cujus ut in omnibus, sic in hoc præcipuè  
arduo negotio consiliis uti, & seqvi, quæ Parens jusserat,  
pium arbitrabatur, haud ignarus, *non solum sibi se natum esse,*  
*sed partem patriam, partem parentes, partem etiam amicos*  
*vexdicare.* Histerè ductus rationibus detrectabat pariter  
& inibat imperium, dissimili longè incepto, quo Tiberius  
cunctabatur, qui auram popularem captans, principatum  
deprecatus, *omnia per consules tanquam in vetere Republi-*  
*ca agebat, nusquam tamen ambiguus, nisi cum in Senatu*  
*loqueretur.*

XIX. Ejusmodi fucatae artes in nostro haud erant, sed  
cuncta ex animi virtute, & quæ eam regit, prudentiâ profi-  
ciscebantur. Illa vis ingenii, quæ præsentia ordinat, futu-  
ra providet, præterita recordatur, fallere non vult, nec ipsa  
falli potest. Hanc cæteris suis virtutibus Ducem quasi  
præfecerat, & ne ab honestatis viâ deflecterent, *peritiam*  
*juris æque divini & humani* addiderat. Ex quo etiam magna

Cic. per  
leg. Ma-  
nil. T. II.  
342.  
Sil. Ital.  
XI.

Plut. l. c.

Liv. I. 9. §  
seqq.

Cic. de fin.  
II. T. IV.  
86. § 466.

Tac. I. 7.

Liv. I. 18.



spes insignis fortunæ affulgebat reip. in qua gubernanda palmarium est, nosse, qui civitatis mores, qui ritus, quæ jura; eaque ad sapientiæ normam examinare. O! beatam proinde ex Platonis sententia Romam! quæ talem nacta erat gubernatorem, qui non modo sentiret, quàm mores emolliat didicisse fideliter artes; sed ipse etiam eâ prudentiâ præditus esset, in qua sita est felix Reipubl. administratio.

Plut. l. c.

Liv. l. 18.

Nepos

XX. 4.

Senec. Ep.

83.

Plin. Pan.

c. 1.

Liv. V. 51.

XX. Sanè quantam sibi promiserit felicitatem ex Numæ imperio Romana Civitas, ex eo licet colligere, quod gaudii testandi & gratulandi causâ novo Regi obviam procederet. Numæ tamen non tam civium suorum applausus, quàm Numinis veneratio curæ erat. Eâ ut rite fungeretur, *Deos de se consuli jubebat*, innuens, prout Rex vices gereret Numinis, ei que proximus esset, ita indignum esse, homines sibi eam potestatem arrogare, quâ soli velint constituere principem, ei que majestatem conferre, quæ insolidum divinæ auctoritatis esset. Præterea cum Timoleonte *nihil rerum humanarum agi sine Deorum numine, cui nihil clausum sit, quod nostris cogitationibus mediis interveniat, & æquum esse, putabat, regnum divina ope, consilio, honore auspiciari. Quod si omitteret, nihil rite nihilque providenter se facturum verebatur, cum omnia prosperè evenirent, Deum colentibus; adversa cuncta, spernentibus.* Suis quoque civibus animum inde accessurum, sperabat, si divinitus approbatam hanc electionem animadverterent, eoque facilius officii sui recordaturos, quò magis ab ipso Numine Dominum suum adjutum iri confiderent.

XXI. His auspiciis noster potitus imperio, in urbe vi & armis condita atque intestinis odiis vehementer agitata, pacis imprimis & tranquillitatis publicæ curam suscipiebat. Quod ut appareret omnibus, inter initia regni remove-



movebat ea, quæ armorum speciem inducere poterant, cohortemque Celerum, perpetuum Romuli Satellitium, abrogabat, quod rebus pacatis sibi à nemine metuendum esse, populo persuasum vellet. Ita hominum suspiciones effugiebat, cum viderent eum, sublatò omni seditionis metu, se fidei civium committere, in quovis eorum gremio cum Duce illo Würtembergico somnum securè initurum. Dicitur non potest, quantum populi favorem conciliet ejusmodi fiducia, quam in amore & concordia civium repositam ostendit, imperio magnus, exemplo major futurus Princeps.

*Non sic excubiæ nec circumstantia tela*

*Quam tutatur amor* ---- ----

*Hæc arx in accessu, hoc inexpugnabile munimentum est, munimento non egere.*

XXII. Incepto respondit eventus, ut tam salutare pacis studium civium sopiret odia, cum præsertim intestinimali occurreret principiis. Ambitio patrum nobiles ad oppressionem pauperum stimularat, non modò novis colonis viam ad honores perveniendi obsidens, sed etiam elatius se gerens, majoraque concupiscens, quam ut tantam in libera civitate fas esset tolerari impotentiam. Quod ne latius serperet malum, initio statim regni providebat Numa, veteribusque patrum pristinam, quam Romulo regnante adepti fuissent, dignitatem servavit, novis autem alios honores tribuit. Deinde factiones, in quas discerpta fuerat civitas, penitus extinguere studebat, utpote rem, quæ pluribus populis magis exitio fuit, quam bella externa, quam fames morbiq, quæq, alia in Deum iras velut ultima malorum publicorum vertunt, prout foeditatem earum depingit Livius. Hoc itaq; periculum ut à Republica averteret, eam potissimum ratione se consecuturum arbitrabatur; si nomina, sub quibus adversus se invicem stetitissent, abolerentur, & cum nominibus rei ipsius memoria

Plut. p.

64.

Liv. l. 15.

Vell. jus

II. 126.

Claudianus  
cons.

ad Honor.

Plin. Pa

neg. c. 49.

Dionys.

II. 36.

L. IV. 9.

inte-



interiret. Quæ de causâ prohibuit, populum distribui in  
veteres & novos, sive in Latinos & Sabinos, jusfitque in  
*Plut. p. 71.* Centurias secundum artificia factas collegia inire. Con-  
fundebantur hoc modo ordines, quibus sub interregno ad-  
hæserant, & quicquid odii resederat inter dissidentium con-  
glutinatas partes, id inter distractas factiones evanuit.  
Secuti hæc vestigia Genuenses, eadem prudentiâ familias  
commiscuerunt, nobilium & popularium nominibus de-  
letis: neq; Venetorum aliud consilium erat, cum veteres  
& novos nobiles discriminari prohiberent, ut refert  
Forstnerus.

*Not. ad  
Tac. XI.  
16.*

XXII. Porro noster pacis studiis cives suos asvefa-  
cturus, animadvertibat, omnia consilia fore irrita, nisi fe-  
rociâ civium perdomuisset. Hæc enim tam altas in  
ipsis radices egerat, ut ad eam extirpandam non simplici  
arte opus esset, siquidem omne malum nascens facilius op-  
primitur, in veteratum fit robustius. Ferocia nimirum  
insita generosæ gentis naturæ, sicut in ipsis conditæ urbis  
incunabulis caput exerebat, cum

*Fraterno primum maduissent sanguine muri:*

Ita cum Rep. crescente sua quoq; incrementa ceperat: &  
deinde sub Romulo, arma victricia per finitimas gentes  
circumferente, maximas vires collegerat, quas adhuc ma-  
jores fore, arguebat ipsius Romuli, postquam pro Deo ha-  
bebatur, ad bellum & militares artes adhortatio. Eam Ju-  
lius Proculus multitudini, per se facili ad credenda acci-  
piendaq; omnia nova, tanquam ex ore ipsius Regis propo-  
suerat, *rem militarem colerent, scirentq; nullas opes huma-  
nas Romanis resistere posse.* Noster igitur, quo recentiora  
hæc erant, penitiùsq; infixæ hærebant animis, eò majorem  
curam sibi adhibendam statuebat, ut crudum adhuc vulnus  
lenio-

*Liv. 1. 16.*



lenioribus remediis sanaret: Imprimis salutem fore Reipublicæ, animadvertens, si sublatis bellis, militiæ quoque usum dedicerent cives, idque solum negotii sibi dari, ut armorum desuetudinem induceret.

XXIII. Verum quia sic metuendum erat, ne nihil agendo malè agere discerent, & licentia ad turbas iterum concitata lasciviret magis, quam saviret multitudo, sacrorum & agrorum cultum docere coepit. Callidum Principis inceptum, quo prospiciebat, ne otio desides animi luxuriarent in Republica, sperans tamdiu duraturam civitatis gloriam, quamdiu adolescentibus Roma non vagari otiosis, liceret, quod in sua usque tempora prospere cessisse, gloriatur Cicero.

Liv. L. II. 29.

XXIV. Quod verò ad ipsa sacra quibus cives in officio continebat, attinet, ea magnopere commendavit plebi, nec solis antiquioribus contentus, multa nova instituit; Haud aliam magis curam principem decere virum, arbitratus, quam quæ ad suam originem, hoc est, cælum propius accederet, & ad ejus honorem spectaret, cujus vicem Princeps gereret. Itaque ritus jam dum usitatos instaurabat, eos præsertim, quos Romulus instituisset. Nam videbat, pertinere id non tantum ad famam Quirini, cujus sapientiam, ea non abrogando, quæ ordinasset, civibus ostenderet; verum etiam ad gloriam præsentis regiminis, si cives sui intelligerent, nec ante se regnasse, nec illi successisse qui alterutro indignus esset; tantique se fieri à subditis velle, quanti eum fecerit, cujus auspiciis in novam civitatem coivissent. Unde perspicuum est, bono Principi optandum, esse successorem prudentem, quo præeunte, populus defuncti memoriam gloriosè colat: quanquam & nonnulli desiderant deteriores, rati, sese hoc pacto tanto desiderabiliores fore, quanto peiores succederent, quod de Augusto

Dionys. L. II.  
64.

C

&



Tac. l. 10.

Svet. in Tib. 21.

Dio. L. 58.

in Paneg. 15.

Rhetor. ad  
Alex.

Liv. l. 23.

& Tiberio commemorant Tacitus, Svetonius & Dio Cassius. Verum illud tantum à vera prudentia Principis abest, ut potius non magis approbari animi magnitudinem, quàm quod optimus Princeps non timeat eligere meliorem, & Nervam longe feliciorum cum Plinio censeam fuisse, qui ideo desiderandus erat, quod in optimo successore prospexerit, ne desideraretur. Nec minorem gloriam in eo consecutus est Romulus, quod successerit, qui sua instituta non tantum approbaret, sed multò magis perficeret. Et quidem *introducere migrare ritus aut violare*, Philosophus ubique gentium nefas haberi putat, si quidem ita comparati sint, ut salva Reipublicæ salute, stare possint. Id noster reputans & instituta Romuli & Albanorum sacra, retinebat, utpote unde cum originem tum leges quoque acceperat Romana civitas. Has itaque antiquissimas ceremonias antiquare nec pius omnino nec periculo carere videbatur. Superstitiosus est princeps, & gravissimam Nominis incurrit offensam, qui sacra comminiscitur ad libitum, & religionem accommodare Reipublicæ studet, quod exemplo suo testatum fuisse Jerobeamum sacra nos pagina docet.

XXV. Sed eam in rem de Ethnici Regis instituto plura differere operæ pretium non est. Illud potius observo in Civitate Romana periculosum fuisse, mutare sacra, eo cum primis tempore, quo seditio populi nondum defuerat, quam facile augere potuisset tentata rituum sacrorum, quibus hucusque operati fuissent, mutatio. Nihilominus id curabat, ut ceremoniarum atque rituum jam institutorum sanctitates indies meliores existerent & ampliores; Multaque alia pro ingenio gentilis seculi ordinavit sacra, quæ omnia tamen commemorare & excutere, formam nostri propositi excederet.

XXVI. Illud imprimis mirandum in gentili principe est,



est, quod Deum simulachris efformare & ejusmodi imagi- *Plut. p. 65.*  
nes devote colere vetaret, An quod cavere voluit ne Cives  
delaberentur in superstitionem quæ facit

-- -- *Animos humiles formidine divum*

*Lucr. L. VI.*

*Depressosq; premens ad terram? ---- ----*

An quod indignum judicavit Numine, rebus inanimatis  
ipsum vitæ autorem exprimere, & pro re ipsa effigiem, pro  
corpore umbram venerari? An vero quod cives ab iis re-  
bus, quæ sensibus patent & ante pedes sunt, revocare stu-  
duit ad altiorem mentis indaginem, & sublimiorem rerum  
divinarum contemplationem, quæ futurum sperabat ut  
metu Numinis mitescerent animi ferocientes. Sane hoc  
institutum multis seculis in Rep. Romana duravit, & mirum  
profecto quod de antiquis moribus & prisca religione ho-  
die tantum decoxerit superstitiosa Roma. Sed redeo ad  
propositum. Quantò gentilis, cognitionis de vero Deo  
expers, intervallo post se relinquit Judæos, in ipso quasi gre-  
mio divino nutritos, nihilominus toties sacrificantes simu-  
lachris, quoties de contrario per Vates Sacros admoneren-  
tur. *Mentem illam solutam & segregatam ab omni concre-*  
*tione mortali,* (prout Cicero describit Deum) in tantum, *T. IV. 179.*  
quantum quidem permittit humana imbecillitas, nosse &  
sincera semper pietate colere, ea demum vera Regis sa-  
pientia, hæc summa civium felicitas.

XXVII. Hanc proinde gloriam cum affectaret  
Numa, quælibet ad pietatis & prudentiæ calculos revoca-  
bat instituta, atque ex utilitate Reip. pensabat. Eò dirige-  
bat rituum sacrorum curam, eò sacerdotalium munerum  
constitutionem, quorum præcipuum Regiaq; potestate  
ornatum Pontifex maximus sustinebat, cujus arbitrio

C 2

*omnia*



*Liv. l. 29.*

*omnia publica privataque sacra Numa subjecerat.* Id vero prudentissimum institutum fuit. Etsi enim administratio sacrorum magnam conciliet apud populum & Rege dignam auctoritatem, unde ipse Numa eam potestatem ad tempus usurpare voluit; tamen cum rerum civilium curis distrahatur principis animus, sacris tam intentus esse, aut saltem ut par est ea administrare non potest. Imo ministri non ipsius principis est, instituta majestatis exequi, & sacris operari circa quæ liberè, nisi quoad divina intercedit auctoritas, dispensandi apud principem adhuc summa residet facultas.

*Dionys. ll. 73.*

XXVIII. Hinc parum consuluisse successorum Principatui mihi quidem Numa videtur, quod Pontificem maximum, tanta instruxerit potestate ut sacra fingere & ordinare pro lubitu posset, nec cuiquam ne ipsi quidem principi obligatus esset ad reddendam instituti rationem. Id vero cum quanto periculo in Republica conjunctum sit, non tantum priscis illis temporibus cum adhuc Ethnicæ superstitioni dedita esset; Sed imprimis sequentibus seculis inter ipsos Christianos experta Roma fuit, cum Pontifices maximi, sive ut hodie vocari amant, Papæ, non modo ceremonias ritusque anilos & supersticiosos, magis lucri quam pietatis causa, ordinandi; verum etiam in ipsos Principes eorumque personam & consilia, eos excommunicandi, & de solio plane deturbandi, sibi impune arrogata potestate, maximas in imperio Romano turbas & conversiones darent; uti publica Historiarum monumenta pluribus docent, quæ de rebus ab Henricis Ottonibus ac Fridericis in Germania gestis consignata extant. Haud scio an non hoc Numæ improvidum consilium tam intolerabili audaciæ viam muniverit.

Interim



XXIX. Interim alia sunt in Pontificis summi ordinatione, quæ suâ laude fraudari non debent. Siquidem Pontifici sacra omnia exscripta exsignataq; attribuit ceremoniarum, sumtum hostiarumq; rationem explicatam dedit, ut scilicet certum & statutum esset, quo plebs in rebus ad religionem pertinentibus consultum veniret, ne patrii ritus negligerentur, peregriniqu; adsciscerentur, omniaq; divina jura tandem turbarentur. Præterea curam justorum funebrium injunxit, ne demortuorum corpora insepulta jacerent, sed ritè elata debito honore ornarentur. Quid enim viro bono magis optandum, quàm ut *suum sibi decus rependat posteritas*, honorq; & carmina brevem & ærumnosam vitam insequantur. Hoc ipso etiam ad virtutis studium & navandam promptè Reipublicæ operam, incenduntur cives, nec *aliam mercedem laborum periculorumq; desiderant, præter hanc laudis & gloriæ, qua quidem detracta quid esset, quod in tam exiguo vitæ curriculo & tam brevitatis se quisquam laboribus exerceat?*

Liv. l. 6.

Plut. p. 67.

Tacit. IV. 35.

Cic. Orat. pro Arch.

XXX. Sed pergo ad alia Numæ constituta sacerdotum officia, ex quibus nunc referre libet Saliorum ordinem, quem, gravi pestilentia per urbem grassante, ad piandos Deos condidit, quos solos ejusmodi mala luis avertere posse, nec nisi pietate moveri, sentiebat. Deinde Virgines legit, inclytum illud Vestæ sacerdotium, quod postea virginitate ceremoniisq; & privilegiis sanctum & venerabile effecit. In cujus laudibus commemorari debet, quod potestatem Vestales eligendi solis Regibus vindicaverit, ad majorem antiquissimis sacris auctoritatem conciliandam. Tum verò addidit severam disciplinam, quæ, sicut omnem societatem firmat atque coarctat; (unde olim antiquior Romanis fuit quàm liberorum caritas:) ita & in hoc Vestæ

Plut. p. 68.

Lic. l. 6.

Dionys. II. 66.



Vestalium collegio maximè necessaria erat. Denique stipendium iis de publico statuit, quod æquum esset, eos, qui publicè serviunt, etiam publicis impensis ornari; præsertim cum officio suo intenti privatis compendiis studere non possint. Porro & præcones ad sacra populo indicanda ordinavit, ut meditatus accederet, nec perfunctoriâ saltem operâ vel tanquam canis è Nilo, cultui divino adesset. Hodiè laudabilis Campanarum & Horologiorum eo negotio usus est, quem cum metu seditionis, per ea facilè excitandæ, improbent Mahumedani, veterem illum Romanorum morem servantes, nesciunt profectò multò utilissimum & maximè compendiarium institutum, ab ejus leviori, & qui facilè vitari tolliq; potest, abusu, distinguere. De cetero intentum sacrorum ministris certos ordines constituisse, & ad octo distinctas classes revocasse, suas item cuique generi vestes, suum numerum statuisse, autor est Dionysius. Usque adeò de religione sollicitus erat, ne quid omitteret, quo divino cultui quædam sanctitas accederet, aut quod rituum, à se institutorum, auctoritatem stabiliret. Eò cum existimaret spectare, si sacella atque fana dedicando Sacerdotum jura perficeret, haud negligebat, etiam his rebus commemorationem nominis sui cum posteritate adæquare.

L. II. 65.

XXXI. Habet ædificandi studium ingenuam voluptatem, nec ulla remissio animi magis videtur commendanda iis, qui ad gubernacula Reipublicæ sedentes, magnam ex laboribus capiunt molestiam honestis relaxationibus delendam. Numa verò non tam voluptatem quam pietatis ac prudentiæ gloriam quærebat ex istis ædificiis tantòq; acceptior erat ejus magnificentia, quod non privatis commodis studeret, sed publicæ rei & sacris negotiis dedicaret,



3  
caret, quæ immensis sumptibus extruxerat. Principe digna cura est, sistere ruinas, & pellere solitudinem, & cum sit *in publicum munificus, opes ad ornatum urbis & posterorum gloriam conferre.* Salomonis fama vivit, vivetq; cum Templi illius Hierosolymitani memoria: Roma comitem ævi sui trahet Augusti laudem, qui urbem Lateritiam se invenisse, & marmoream relinquere gloriabatur. Neque illud sine consilio Numa fecit, quod Regiam prope Vestæ ædem extrueret. Nam cum ipse sacra faceret, voluit in propinquo locum esse, ubi minore molestiâ, & sine jacturâ suæ autoritatis rebus divinis vacare posset. At sine dubio altius quid cogitabat animo, reputans secum, Majestatem & virtutem rarò convenire, & *sublimi aulâ exulare pietatem.* Itaque consultum videbatur, religionis domicilium à regia non longè removeri, quò faciliùs scelera loci propinqua sanctitas coërceret.

Tac. III. 72.

Svet. in vit.

Plut. p. 69.

XXXII. Scilicet hoc ego ponerem in prudentissimis atque arcanis Numæ consiliis, quod omnibus actionibus suis misceret religionem, & metum Numinis; eamque populo indueret persuasionem, ut omnia sua instituta pertinere ad cultum & honorem DEI, imò & divinitus profecta esse crederet. Quod eò faciliùs obtinuit, quò majori prudentiâ sive calliditate artes illas pertractavit. Enimverò simulabat, cum Dea Aegeria congressus nocturnos, ejusque se monitu, quæ acceptissima Diis essent, sacra instituere. Non rarò Viri prudentes cum Diis Deabusque consortium finxere, ut decreta sua cœlitus mandata esse suis imponerent, & religione obligarent *mentes, quæ semel percussa ad quidvis mobiles sunt,*

Liv. I. 19.

Tac. I. 28.

sunt,



Curt. IV. 10.

Dion. II. 62.

I. 2.

I. 28.

ad Tac. cit. loc.

sunt, promptèq; imperata peragunt. Nec enim ulla res efficacius regit multitudinem, quàm superstitio, quàm ubi semel capta est, melius vatibus, quàm Ducibus pareat. Id probè didicerat Numa, & quos secutus est Minos & Lycurgus, quorum alter Cretensium Rex, in vetustum specus secedens cum Jove colloquium, & inde traditas leges fingebat; alter verò Spartanus Legislator Delphos profectus consilio Apollinis compositas civitati leges in vulgus edebat. Similia de Zaleuco, Pisistrato, Scipione, L. Sylla & Sertorio legere est apud Valer. Max. qui omnes id efficiebant, ut populus sine Numinis auspiciis nihil periculosi auderet, salubriterq; institutis fidem & obsequium adhiberet, ipsiq; tutiores nonnunquam religione, quàm armis essent. Quid quod in ipso bello hujusmodi larvis feliciter usi sint duces? Drusus tumultuantes legiones religione, ut ad officium redirent, coëgisse apud Tacitum legitur. Certè Carolus ille M. cum armis Saxonum gentem non posset, Veneratione Numinis, quàm Episcopi docebant, eam frangebatur atque debellabat. Numa verò, ne populus dubitaret, divino admonitu hæc omnia se suscipere, plurima alia excogitabat, quibus comprobare istud cum Diis commercium nitebatur. Hinc vastante urbem pestilentia, ab Egeria & Camœnis scuta missa esse ad protegendam salutem urbis prædica- bat. Sic fidem & terminum (Romanorum deastros) sanctissimè colere præcepit, templaq; & solennia ipsis constituit, non alio consilio, quàm ut civibus etiam in civilibus negotiis assidua Numinis cura insideret, omnibusq; illud rebus humanis interesse cogitarent. Verùm de his institutis cum Forstnero statuo; religionis prætextum in viro gentili prudentiam videri posse, Christianos



nos verò Principes eam decere sententiam : timorem & amorem DEI Opt. Max. felicissimam esse artem populos gubernandi. Impium sanè est, quod vi & imperio non possis, religionis obtentu velle impetrare.

XXXIII. Sic Numa urbem vi & armis conditam, sacris ritè constitutis de integro quasi condiderat, cumq; magnus in divinis esset, non minor in civilibus negotiis erat. Pax in primis curæ cordiq; erat,

— — — pax optima rerum,  
quas homini novisse datum est. — —

Eam proinde non modò benè constituere, sed etiam animosè & sapienter tueri contra injurias eorum, qui tranquillitatem publicam nequiter laceſſebant, boni Principis esse recordabatur. Namque cum Fidenates à Romanis prædas facerent, agrosq; cædibus & incendiis vastarent, eam injuriam vindicaturus, hostes eò adegit, ut rebus restitutis cum Romanis paciscerentur. Equidem pacifico Principi notum erat, bellum sumi facilè, ceterùm agerrimè desinere; justum tamen esse, vim illatam vi repellere, quòd qui non defendat, nec obsistat, si possit, injuria, tam sit in vitio, quàm qui Parentes aut patriam deserat. Tentandam verò prius juris viam esse statuebat, ereptasq; res misit, qui repeterent. Inde Fecialium collegium ortum esse dicitur, uti autor est Dionysius, posteaq; perfecisse Ancam Martium Livius scriptum reliquit. Eorum erat clarigare, ut Romanis audit, quod nefas esset in eum, qui jure agere paratus sit, bellum sumere, cumq; duo genera sint decertandi juxta Ciceronem, unum per disceptationem, alterum per vim, tum demum confugiendum ad posterius, si uti non liceat superiori.

Dion. l. c.

Sallust. Jug. 83.

Cic. pro Mil.

& Off. l. T. IV.

462.

l. c.

l. 25.

l. 1. Offic.

D

XXXIV.



Dion. l. c.

Liv. l. 22.

Cic. I. Ep. Famil. 9.

Liv. l. c.

Liv. l. 20.

XXXIV. Apparet ex eo, quàm deditus fuerit Numa non modò paci, verùm etiam justitiæ, ad cujus regulam omnes civium actiones & negotia revocare voluit. Inter ea fines ac limites agrorum determinabat; cùm & æquum omninò & Reipublicæ salutare sit, dominia non esse in incerto, & ex eorum neglecto discrimine sæpissimè soleant inter cives gravissima odia, & bella internecina cum finitimis oriri. Deinde & fidem sanctè servare cives suos docebat, ut discordiæ litigiisq; civium præscinderet ansam, vinculaq; societatis arctiùs colligaret. Atque in utroque quantum Reipublicæ momenti statuerit Numa, vel ex eo est intelligere, quod in his negotiis ut statuta sua æternùm rata haberentur, DEO Terminò fideiq; divæ sacra dedicavit. Idem tùm Romæ contigit, quod vulgò dici solet, *tales esse solere cives, quales in Republica sunt Principes*, Regemq; justitiam administrando justè facere suos docuisse, *inq; ejus velut unici exempli mores civitatem formâsse adeò, ut fides ac jusjurandum proximo legum ac pœnarum metu eam regerent.*

XXXV. Nec præteriri pulcherrimus ordo debet, cujus in Republica Romana imprimis rationem habuit, *nihil quicquam tam utile aut decorum* cum Xenophonte statuens, quàm certam partium civitatis perindè ut domûs pulchrè exædificatæ dispositionem. Ut enim taceam omnia officia sacra & civilia bono ordine in Civitate dispensata, satis eadem sapiens temporis distributio testabitur. Ab omni ævo receptum est, annum civilem ad cursum luminarium describere, itaque & Numa, animadvertens antiquo & tunc usitato Romanis more, menses ad Lunæ cursum reductos non congruere *anno solido, qui solstitiali circumagitur orbi*, intercalando defectum explere conabatur.

Re=



Regium profectò opus ! quod Cæsar etiam multis post seculis inter initia sui principatus dignum æstimavit, quod summa cura susciperet. Nam sicut summus ille arbiter statim creato mundo tempus ordinavit, ita qui proximas ab eo vices tenet Princeps hanc à se curam non esse alienam statuet. Sed & Numa in hac distributione temporis agebatur gloria, quod (autore Livio) omnium primus ad motum Lunæ describeret menses, rudiatemq; seculo suo, harum rerum imperito, aliquantum abstergeret. Id quod tantò gloriosius erat, quanto feliciorum redderet Rempubl. & quanto facilius contra neglectò salutari hòc institutò contingere potuisset, quod Cæsaribus usu venit, ut vitio Pontificum *nec messis æstati, nec autumnò vindemiæ competerent*. Nam ut à tempore pendet rerum ordo, & suò quæq; tempore agenda sunt ita & Numa prospiciebat, ne promiscua negotiorum, & quòvis tempore suscepta tractatio turbaret Rempubl. Hinc alios constituerebat dies fastos, quibus jus dicere prætoribus licebat, alios nefastos; itemque infestos & profestos dirimebat.

XXXVI. Tandem rebus prudenter ordinatis, ut suos quoque modico contentos doceret esset, & otio civium consulèret, agros ipsis colendos distribuerebat, simplicissimo vitæ generi eos assuefacturus. Etenim omnium rerum, ex quibus aliquid acquiritur, nihil est agricultura melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil liberò homine dignius. Unde & Viri summi Romæ se non indignum judicabant, ad tempus villicari & rusticari. Itaque ut diligentius agriculturam commendaret suis, certos agris constituit inspectores, qui de colonorum operâ cognoscerent, Regique notatos deferrent, ubi gnavos collaudatos cum muneribus, segnes verò reprehensos & malè mulctatos dimittebat.

XXXVII.

*l. c.*

*Suet. in Cæs.*

*Dion. fin. L. II.*

*Cic. Off. 492.*

*Dion. l. c.*



Salust. Or.  
1. ad Cas.

Liv. l. 23.

Tacit. A.  
gric. 37.

In vit. c. 4.

Dion. l. c.

Plut. p. 74.

XXXVII. Quibus omnibus efficiebat, ut promte sibi obsequerentur cives, firmisimumque ejus esset imperium, qui cum suis subditis, tanquam liberis viveret. Et plurimorum eventu comprobatum est, eis, qui imperium lenitate temperavere *lata & candida fuisse omnia, etiam hostes aqviores, quam aliis cives*; Horum quidem caritate stipatus fuit Numa, illorum verò paucos ac fere nullos expertus est, cum virtutibus ejus *in eam verecundiam finitimi adducerentur, ut civitatem, quam ante ad sollicitandam omnium pacem in medio positam crediderant, violari ducerent nefas.* Eò felicior dicenda erat Roma, quò magis præstat tuta pax calamitoso bello, aut vicinorum amicitia metui, *caritatis infirmo vinculo, est præponenda.* Hæc & similia Reipublicæ commoda Civitas accepta referebat Numæ ideoque *minimè mirandum est, si vita ejus fuerit secura & mors acerba, quod de Cimone prodidit Cornelius.* Testis erat Roma, cum senectute confectum & in extrema defunctum ætate suum Pompilium splendido prosequeretur funere, corpusque senatorum humeris efferetur.

XXXVIII. Plura de eo persequi tum magnitudo Voluminis, tum festinatio prohibet, quæ prout cæca audit & improvida, sic vereor, ne eadem factum sit, ut exilia festando palmaria neglexerim. Satisfecisse tamen instituto mihi videbor, si de imbecillitate mea fuero admonitus, & quotquot æquos se censores meminerunt, suam benevolentiam, publicè ac privatim liberè judicando, comprobarint.

SOLI DEO GLORIA.

ps(o)so

IIVXXX



05 A 1201

ULB Halle  
003 764 834


3











*Q. F. F. S.*

DISSERTATIO POLITICA,

Quâ

# NUMÆ IMPE- RIUM,

PRÆSIDE

M. FRIDERICO CHRISTIANO  
BÜCHERO,

Facult. Philos. hætenus Adjuncto, nunc vocato Profefs.  
Log. Metaph. & Phil. Pract. in Gymnasio Gedanensi,  
ejusdemq; Reipubl. Bibliothecario,

*publ. recensabit*


*ad D. Maji An. M DC LXXXI.*

*In Audit. Maj. Hor. Matut.*

A. R.

POLYCARPUS LEISERUS,

Witt. Saxo.



WITTENBERGÆ

Typis MATTHÆI HENCKELII, ACAD. TYPOGR.